

5

Summorumque Pontificum auctoritate neglecta, causam agere porro suam veterator impulerit. Quis enim iudicium, & sanitatem mentis in illis agnoscat, qui, quasi nihil a Sixto Quarto, nihil a Pio Quinto, nihil a Paulo Quinto, nihil a Gregorio Decimoquinto, nihil ab eo, quem saepe dixi, Alexandro, nihil denique a Clemente Undecimo, qui diem festum immaculati Conceptus ab Ecclesia uniuersa celebrandum decrevit, ad pia sententiae vel tutelam, vel ampliacionem collatum esset, sic illa ipsa promovent argumenta, quae Vincentius Bandellus, eoque violentior Bartholomæus Spina contra Deiparae immunitatem attulerunt? Sed rem prescius agamus, & libellum aduersariorum ad Theologicam trutinam reuocemus. Eiusdem titulus est: *An sit necessarium, & expediens, quod definiatur ex Cathedra Mysterium Conceptionis Beate Mariae Virginis.*

I. Incipiunt autem calumniari in hunc modum: *Edito clandestinis typis supplici libello (Hispani Legati) congruo tempore presentando Sanctissimo Domino Nostro Clementi XII.*

Non est profecto clandestinus is liber, qui cum Pontificis facultate editus est, eidemque Catholici Regis, totiusque Hispaniae nomine oblati. Tibi sit clandestinus, qui, quod ipse non probas, ad inuidiam conflandam criminari soles. At nec Summo Pontifici, nec Hispaniae Legato, nec probis denique, ac sapientibus uiris unquam fuit, vel erit clandestinus.

*In quo enixe petitur, ut tandem aliquando Sancta Sedes deueniat ad definitionem ex cathedra Mysterii Conceptionis Beatae Mariae Virginis immaculatae. Multa serio praeponderanda sunt, ne in re tanti momenti precipitanter agatur, sed summa maturitate, sicuti decet grauitatem negotii. Venerando igitur Mysterium, quod sancte, pie, & religiose venerandum proponitur; sistendum existimatur in examine dubii, an sit necessarium, & expediens, quod supplices preces exaudiantur.*

Nimis aride & generatim profitentur se colere Conceptionis Mysterium. Addendum erat: *juxta mentem per petuam*

Ro.